



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac Ex Probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1713**

Q. 190. An per idem opus obtineri possint plures indulgentiæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42624**

mini. Ecce ancilla. Verbum caro &c. cum tribus Ave, Adrianus VI. plenariam indulgentiam largitus est, ut referunt communiter cum Pelliz. tr. 10. c. 9. n. 40. Gob Escob Rödriq. Lezan. Diana p. 4. t. 4. R. 24. Quæ autem ab Innoc. XI. declaratur apocrypha, est solùm indulgentia Clementis X. adscripta recitantibus manè vel meridie aut vespere, Angelus Domini cum Deo gratias & Mariae.

Q. 190. An per idem opus obtineri possint plures indulgentiae. R. §. 1. Negant Suar. Gran. Côn. & plures alii, quia ex mente Ecclesiæ & praxi fideliū videntur singula opera pro singulis indulgentiis requiri, quæ sententia in praxi suadenda est. Attamen si tales indulgentiæ sint diversis viis concessæ, præter citatos à Busenb. oppositum tenent Bonac. Escob. Quintanad. dub. 12. n. 4. ac probabile reputant Henr. Gob. Dian. p. 10. t. 16. R. 14. consentit Viva q. 8. a. 1. si sermo sit de operibus, quæ eodem die iterari non possunt: hinc inferunt, si eodem die sint in diversis templis diversæ indulgentiæ, præsertim si una sit applicabilis defunctis, altera vivis, per unicam Confessionem & Communionem posse utrasque obtinere, orando in singulis templis preces præscriptas, quia talis Confessio & Communio tantum præsupponitur tanquam dispositio, unica autem dispositio moralis sufficit ad plures effectus morales, v. g. una actualis gratia, unus actus fidei, ad multos actus meritorios. Videndum tamen, in quo templo fortè fieri debeat Communio, secundum dicta n. 1362.

§. 2. Si hodie sit indulgentia in templo A., 1372 eras in templo B., adhuc putant Busenb. Dicast. Burgh. cent. 2. casu 26. & alii sufficere Confessio-

D d d 3 nem

nem hesternam & Communionem hodie-  
nam pro utrisque indulgentiis hodie & cras  
lucrandis, testaturque *Dicast.* multos viros  
doctos in Hispania interrogatos ita sensisse.  
*Idem dicunt Turr. Dian. Escob. Comit.* licet pri-  
ma primo die mensis, secunda sexto lucranda  
esset, rationem dant, quia Bullæ non mathema-  
ticè sed moraliter volunt ista opera fieri tem-  
pore pro tali indulgentia assignato, quod tum  
videtur esse, si non distet longius: Hinc Theo-  
logi Collegii Romani ( uno excepto, qui con-  
tradixit ) interrogati ab hac Provincia putâ-  
runt ad lucrandas indulgentias festo Circum-  
cisionis sufficere, quod quis in festo Nativitatis  
Christi confessus communicarit, referendo et-  
iam ad indulgentias Circumcisionis: Rationem  
dant, quia verba, *qui vere pœnitentes confessi &*  
*communicati in Bullis Pauli III. & Greg. XIII. in-*  
*junguntur cum verbo, visitaverint, & non cum*  
*festo Circumcisionis, ipsi autem octiduo ante*  
*confessi & communicati ex intentione hujus*  
*indulgentiæ, hodie festo Circumcisionis visi-*  
*tant templum & in eo orant, ergo adimplent*  
*verba concessionis. Addunt non obstat, quod*  
*interim forte inciderint in mortale, dummodo*  
*de hoc ante visitationem templi & orationem*  
*conterantur. Hæc illi, an probabiliter, judicent*  
*alii.*

**1373** *S. 3.* Eisdem indulgentias non potest quis  
sibi lucrari & simul alteri applicare, uti dictum  
est n. 1366.

**1374** *Q. 191.* An indulgentia pro certo tempore con-  
cessa, posset intra illud tempus sepiùs obtineri, si re-  
petantur opera injuncta. *R. S. 1. Busenb.* cum aliis  
dicit probabilius esse, quod non, & *Fill. t. 8. c.*